



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærerentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

XVIII. Ad Nobiles.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

Ave veneremur, additâ communi collectâ: *Excita, quæsumus, Domine! in Ecclesia spiritum, cui sancti tui Doctores servierunt: ut eodem nos repleti, studeamus amare, quod amaverunt, & opere exercere, quod docuerunt.* Tanti hi sunt viri in cœlo! & negliguntur? Ubi ratio? Ubi prudentia?

## EXHORTATIUNCULA XVIII.

## Ad nobiles, &amp; ab origine claros.

## I.

**G**rande donum de manu Dei nobilitas! At dum augentur dona, rationes etiam crescunt donorum. Degenerat, sanguinem dishonestat, qui actiones, vel officia non nobiliter tractat, & peccatum amat. Sola apud Deum libertas est, non servire peccatis; sola apud Deum nobilitas, clarum esse virtutibus. S. Hier. Aëstimatio sui est licita, si nos urgeat actio prohibita. Sanctè superbit, qui dæmonem vincit, & peccato non cedit.

*Instructio meritoria.*

Gratijsam simus SSS. Trinitati, quæ dedit tam nobilem esse, & vivere. Offeramus proin unum speciale de mysteriis Gloriosis Rosarium sacrum, & supplicemus, ut à nobis avertat pericula, animam fœdandi. Sit nobis idem cum D. Augustino desiderium: *Domine! Vim patior!* *Responde pro me! Malo mori, quam fœdari.*

Ii 7

II. Co-

## II.

**C**olendissime ! Super alios à Deo exaltati, sublimati sumus. Ergo super cœteros pietate, & exemplis emineamus, necesse est, monente Gentium Doctore : *In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, & verborum gravitate.* Magna, sublimia hæc sunt ! Tamen à SSS. Trinitate obtinenda. Petite !

*Instructio meritoria.*

Dum in Ecclesia sumus, sæpius ardens desiderium concipiamus magnæ perfectionis, iustitiae, & sanctitatis. Beati enim, qui esuriunt & sitiunt iustitiam ; quoniam ipsi saturabuntur. Commendo proin D. Augustini desideria rogaritis : *Domine Deus ! Da cordi meo te desiderare, desiderandò querere, querendò invenire, inveniendò amare, & aeternum possidere ! O nobiles gemitus !*

## III.

**V**ir nobilissime, quam pretiosa vobis est anima immortalem possidet, cuius præmium DEUS ; cuius aula, & palatum paradisus. Et quid? Hæc nobilis Domina, & potens Regina fiat corporis mancipium ? Famula cupiditatum ? Dæmonis ludibrium ? Ad hæc quid vita ? Passio ? Mors Divini Unigeniti ? Pretium JESU sumus ! Non prodigamus !

*Instructio meritoria.*

Ne permittat cœlum, mea vobis hodiernæ diei offero suffragia ; simulque suadeo : Fugiat ! Tace-

Taceat! In solo Deo quiescat! Ut autem inter tot mundi laqueos vivat eò firmior, atque securior, in cubiculo triplicem suspendat S. Bernardi doctrinam adhortantis: *Considera: unde venis? & erubesces; ubi sis? & ingemisces; quo vadis? & contremisces!*

## EXHORTATIUNCULA XIX.

## Ad Milites Christianos.

## I.

**V**irorum optime! Fidelitas probat Christi militem. Sic magnus Apostolus: *Certa bonum certamen fidei, & apprehende vitam aeternam.* Qui mundi bonis rapiuntur, & illicitis delitiis citò capit, castra refugit JESU, & transit ad diaboli. Sed pro quali stipendio? Dei gratiae, & salutis aeternae dispendio. O miles Christi! Tantine tantam nobis emamus perniciem, & ruinam?

*Instructio meritoria.*

Dux noster est JESUS, & hic Crucifixus. Ut soli adhæreamus, quotidie assuescamus venerari illius sacratissima quinque vulnera per quinque Pater, & Ave cum nostrum commendatione devotissimam. In vulneribus JESU ô quale armarium! Qui eò currit, tutissimus ibit.

## II.

**B**One! Vultne ad vitam ingredi? Ergo Dei mandata servate! Diligite Deum ex toto corde! Diligite & proximum, sicut seipsum. In his duobus universa lex pendet, & prophetæ. O quot